

Nuntio caedis Ameriam allato, Capito deinde Chrysogonum impulit, ut Sex. Roscii nomen in proscriptorum tabulas referret, eiusque bonorum vilissimo pretio maniceps fieret ita, ut tria praedia paulo post Capitoni daret, reliqua cum Magno communiter possideret. Monstrat denique Cicero Capitonem, quominus legati Amerinorum Sullam adire potuerint, impedivisse, Magnumque Sex. Roscii servos in quaestionem postulatos recusavisse. In Chrysogonum hoc pergit modo:

XLIII 124 Veniō nunc ad illud nōmen aureum, sub quō nōmine tōta societās latuit ; dē
quō, iūdicēs, neque quōmodō dīcam, neque quōmodō taceam, reperīre
possum. Sī enim taceō, vel māximam partem relinqūō ; sīn autem dīcō,
vereor, nē nōn ille sōlus – id, quod ad mē nihil attinet –, sed aliī quoque
plūrēs laesōs sē putent. Tametsī ita sē rēs habet, ut mihi in commūnem
causam sectōrum dīcendum nihil magnopere videātur ; haec enim causa
125 nova profectō et singulāris est. Bonōrum Sextī Rōsciī emptor est
Chr̄ysogonus. Prīmum hoc videāmus : eius hominis bona quā ratiōne
vēniērunt, aut quōmodō vēnīre potuērunt ? Atque hoc nōn ita quaeram,
iūdicēs, ut id dīcam esse indīgnum, hominis innocentis bona vēnīsse – sī
enim haec audientur ac liberē dīcentur, nōn fuit tantus homō Sextus Rōsciū
in cīvitate, ut dē eō potissimum conquerāmur –, vērū ego hoc quaerō : quī
potuērunt istā ipsā lēge, quae dē prōscrip̄tione est, sīve Valeria est sīve
Cornēlia – nōn enim nōvī, nec sciō –, vērū istā ipsā lēge bona Sextī Rōsciī
126 vēnīre quī potuērunt ? Scrip̄tum enim ita dīcunt esse : ut aut eōrum bona
vēneant, ‘quī prōscrip̄tī sunt’ – quō in numerō Sextus Rōsciū nōn est –, aut
eōrum, ‘quī in adversāriōrum praesidiīs occīsī sunt.’ Dum praesidia ūlla
fuērunt, in Sullae praesidiīs fuit ; posteāquam ab armīs omnēs recessērunt,
in summō ōtiō rediēns ā cēnā Rōmae occīsus est. Sī lēge, bona quoque lēge
vēnīsse fateor. Sīn autem cōnstat contrā omnēs nōn modo veterēs lēgēs
vērū etiam novās occīsum esse, bona quō iūre aut quō modō aut quā lēge
vēnierint, quaerō.

XLIV 127 In quem hoc dīcam, quaeris, Erucī ? Nōn in eum, quem vīs et putās ; nam
Sullam et ōrātiō mea ab initiō et ipsīus eximia virtūs omnī tempore pūrgāvit.
Ego haec omnia Chr̄ysogonum fēcisse dīcō, ut ēmentīrētur, ut malum cīvem
Sextum Rōsciū fuisse fingeret, ut eum apud adversāriōs occīsum esse
dīceret, ut hīs dē rēbus ā lēgātīs Amerīnōrum docērī Lūcium Sullam passus
nōn sit. Dēnique etiam illud suspicor, omnīnō haec bona nōn vēnīsse ; id,
128 quod posteā, sī per vōs, iūdicēs, licitum erit, aperiētur. Opīnor enim esse in
lēge quam ad diem prōscrip̄tiones venditionēsq̄e fiant, nīmīrum Kalendās
Iūniās. Aliquot post mēnsēs et homō occīsus est, et bona vēnīsse dīcuntur.
Profectō aut haec bona in tabulās pūblicās nūlla rediērunt, nōsq̄e ab istō
nebulōne facētius ēlūdīmur quam putāmus, aut, sī rediērunt, tabulae
pūblīcae corruptae aliquā ratiōne sunt ; nam lēge quidem bona vēnīre nōn
potuisse cōnstat. Intellegō mē ante tempus, iūdicēs, haec scrūtārī et
propemodum errāre, quī, cum capitī Sextī Rōsciī medērī dēbeam, reduviam
cūrem. Nōn enim labōrat dē pecūniā, nōn ūllīus ratiōnem suī commodī
dūcit ; facile egestātem suam sē lātūrum putat, sī hāc indīgnā suspīcīone et
129 fictō crīmīne liberātus sit. Vērū quaesō ā vōbīs, iūdicēs, ut haec pauca,
quae restant, ita audiātis, ut partim mē dīcere prō mē ipsō putētis, partim prō

Sextō Rōsciō. Quae enim mihi indīgna et intolerābilia videntur, quaeque ad omnēs, nisi prōvidēmus, arbitror pertinēre, ea prō mē ipsō ex animī meī sēnsū ac dolōre prōnuntiō ; quae ad huius vītam causamque pertineant, et quid hic prō sē dīcī velit, et quā condiciōne contentus sit, iam in extrēmā ōrātiōne nostrā, iūdicēs, audiētis.

- XLV** 130 Ego haec ā Chr̄ysogonō meā sponte, remōtō Sextō Rōsciō, quaerō : pr̄imum quārē cīvis optimī bona vēnierint, deinde quārē hominis eius, quī neque pr̄oscriptus neque apud adversāriōs occīsus est, bona vēnierint, cum in eōs sōlōs lēx scr̄ipta sit, deinde quārē aliquantō post eam diem vēnierint, quae diēs in lēge praefīnīta est, deinde cūr tantulō vēnierint. Quae omnia sī, quemadmodum solent lībertī nēquam et improbī facere, in patrōnum suum voluerit cōferre, nihil ēgerit ; nēmō est enim, quī nesciat propter magnitūdinem rērum multa multōs, partim improbante, partim imprūdente
- 131 Lūciō Sullā, commīsisse. Placet igitur in hīs rēbus aliquid imprūdentiā praeterīrī ? Nōn placet, iūdicēs, sed necesse est. Etenim, sī Iuppiter Optimus Māximus, cuius nūtū et arbitriō caelum, terra mariaque reguntur, saepe ventīs vehementiōribus aut immoderātīs tempestātibus aut nimio calōre aut intolerābilī frīgore hominibus nocuit, urbēs dēlēvit, frūgēs perdidit, quōrum nihil perniciī causā dīvīnō cōnsiliō sed vī ipsā et magnitūdine rērum factum putāmus, at contrā, commoda, quibus ūtimur, lūcemque, quā fruimur, sp̄iritumque, quem dūcimus, ab eō nōbīs darī atque impertīrī vidēmus, quid mīrāmur, iūdicēs, Lūcium Sullam, cum sōlus rem pūblicam regeret, orbemque terrārum gubernāret, imperiūque māiestātem, quam armīs recēperat, iam lēgibus cōfirmāret, aliqua animadvertere nōn potuisse ? Nisi hoc mīrum est, quod vīs dīvīna assequī nōn possit, sī id mēns hūmāna adepta nōn sit.